Serenissimo Electori Palatino
Friderico V. etc:
Gratiam ac pacem in Domino!

Serenissime Princeps Elector, Domine Clementissime.
Ante octennium irenicum hoc de unione et Synodo Evangelicorum conciliandâ [illegible] votivum scriptum obtuli Serenissimo Celsitudinis T. parenti, felicissimae recordationis, Augustoque Senatui. Fuit id quidem tunc, posthabitis censuris approbatum, et prelo dignum judicatum. Ego verò consulto hactenus id pressi: ac nunc demum adhibitâ variâ recognitione, observatione, moderatione, augmentationeque locupletatum luci publicae commisi: non hoc quidem fine, ut solum legatur, minimè autem, ut novae contentionis pomum existat, sed potius ut viri prudentes maximè Principes et Monarchae Evangelici inde agnoscant, quomodo tandem Theologorum contentionibus modum ponere, ac si non plenam concordiam, saltem pium syncretismum adversus Antichristum facere mutuò possint ac debeant. Nonaginta jam annos durat infelix Evangelicorum schisma. Satis diu Papistis ridiculo sumus et dissidiis nostris Synagoga Romana triumphos agit. Sic igitur compositis veniat tandem Ecclesiae

— pax una triumphis
innumeris potior.

Hac cura, Serenissime Elector, cum ad Tuam Celsitudinem, tanquam primarium Imperii septemvirum in Germania praecipuè pertineat, eidem irenicum hoc dicatum, consecratum, corpore quidem absens, valetudine impeditus, animo verò praesens, humiliter offero, nosque, unà cum aliis Principibus et Monarchis Evangelicis, ad quos ea spectat, consilium et curam pacis Ecclesiasticae tandem conciliandae seriam ipse recipere, sibique commendatum

habere clementer velit. Sic Deus T. O. M. Serenissimæ Tuæ Celsitudini cum dilectissima conjuge et prole, totaq; Illustrissima Palatina familia coelitus uberrimè benedicat: eandemq; in plurimos annos prosperrimæ Palatinatus gubernationi incolumem florentemq; conservet. Amen. Heidelbergæ XIV. April. 1614.

175. Serenissimo Principi ac Domino Domino Johanni Georgio Duci Saxoniæ &c: S. Romani Imperij Electori &c:

Gratiam et Pacem à Domino nostro Jesu Christo!

Serenissime Princeps Elector: Quoniam reipsa proh dolor, deprehendimus, graves ac diuturnas illas Evangelicarum Ecclesiarum dissensiones in et extra Romanum Imperium, indies Evangelicæ doctrinæ cursum vehementer impedire, nec parum obfirmare animos Papistarum, quibus nos hac ratione ludibrium ferè fieri solemus, sicuti minimè dubito, quin Serenissima Celsitudo Tua hanc Ecclesiæ, imo calamitatem et probè intelligat: et pro eximia sua pietate et zelo erga evangelii doctrinam ad exemplum gloriosissimæ memoriæ Principis ac Domini, Domini Christiani I. parentis tui, nihil magis in votis habeat, quam ut tandem in unitatem fidei dissidentium animi firmiter coalescant: ego quoq; ita requirentibus vocationis meæ partibus, desideria pectoris mei in sinum Ecclesiæ effundere non dubitavi: ac pro mensura donorum Jesu Christi irenicum hoc de pace Evangelicorum feliciter conciliandâ ante annos octo conscripsi, ~~[illegible]~~ ita, interea temporis sæpiùs ad Christianæ moderationis limam revocavi: donec nuper ita judicantibus superioribus visum fuit publicis typis illud vulgare.

Quare